

www.e-rara.ch

**Discursus Curiosi & Fructuosi Ad præcipuas Totius Litteraturæ Humanæ
Scientias Illustrandas accommodati**

Weber, Johann Adam

Salisburgi, 1673

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-56667>

Discursus quadragesimus tertius. Ex jure publico. De quibusdam illustribus Europæorum principum ac statuum prætensionibus.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

DISCURSUS

QUADRAGESIMUS TERTIUS.

EX

JURE PUBLICO.

*De quibusdam illustribus Euro-
pæorum Principum ac Statuum
prætensionibus.*

Nullum est regnum, nulla respublica, nulla Toparchia, aut Dynastia, quæ non aliquod habeat, ut appellant, *Interesse*. Porro *Interesse* cujuslibet Status varijs nititur prætensionibus. Quæ (ut Theodorus Sprengerus in sua compendiosa, sed accuratâ illustrium quarundam in Europa gliscentium prætensionum deductione observat) non sunt de privatorum ergastulis, sed magnorum Principum territorijs, quæ eò majori difficultate laborant, quòd claustris juris privati includi nequeant, & plurimum ab annosâ vetustate petantur.

Atque ut à primo orbis Christiani Capite exordium ducam, Summus Pontifex (ut patet ex Registris Cancellariæ Romanæ Curiae) prætendit jus in Regna Neapolis, Siciliae, Arragoniæ, Sardiæ, Jerusalem, Angliæ, Hiberniæ & Hungariæ, quæ (ut ait Sprengerus) homagium Ecclesiæ debent.

Uu

Afferit

Asserit insuper prædictus Auctor 2. Regem Hispaniæ ratione utriusque Siciliæ servitia feudalia in hodiernum usque diem Romano Pontifici præstare.

Asserit 2. Papam sibi vindicare jus in Regnum Arragoniæ, propter annum censum aliquot auri pondo, promissum à Petro II. Rege Arragoniæ, cum in Insulas Majoricam & Minoricam, à Saracenis subactas, expeditionem pararet.

Asserit 3. Sedem Apostolicam prætereundum jus in Sardiniam, quòd Januenses & Pisani consilio Pontificis Saracenis Insulam illam extorserint, eosque à Papa investituram de illa accepisse constet.

Asserit 4. Romano Pontifici competere jus in regnum Hierosolymitanum, propterea quòd Regnum Siciliæ cum prædicto Regno à Friderico I. Siciliæ Rege, per matrimonium Violantæ conjunctum & unitum fuerit. Cum itaque Regnum Siciliæ indubitanter Papam ut Dominum agnoscat, licet id ipsum affirmare de regno Hierosolymitano eum accessorium sequatur naturam sui principalis. Addit tamen prædictus Author hoc argumentum videri lubricum.

Asserit 5. Præensionem Pontificiam in regna Angliæ & Hiberniæ eo niti fundamento, quòd horum regnorum Reges anno 1212. se vasallos & tributarios summi Pontificis constituerint. Quod etiam testatur Blondus *lib. 6. decad. 2.*

Asserit 6. Jus Pontificium in regnum Hungariæ comprobari posse testimonio Martæ tract. de

jurisd.

Jurisd. p. 1. c. 26. affirmantis, Lancellotum Regem Hungariæ obedientiam Papæ promississe.

Plura alia Sprengerus asserit, vel potius asserere videtur, cum re ipsa majori conatu prætensiones Pontificias oppugnet, quàm propugnet. Multò fidelius, plenius, solidius, efficacius hoc argumentum pertrahat Abrahamus Bzovius *lib. de Pontif. Rom. cap. 41.* ad quæ remitto lectorem, & interim adduco auctoritatè S. Gregorij, patrimonium Ecclesiæ per Occidentem longè latèq; patens, quo ipse circa annum Christi 600. fruebatur, demonstrantis & declarantis; nimirum quoad Africam, epist. 73. lib. 1. quoad Neapolim, lib. 5. epist. 11. quoad Campaniam, lib. 2. epist. 49. quoad Siciliam, epist. 2. 3. 68. 70. lib. 1. & lib. 2. epist. 76. quoad Italiam, lib. 1. ep. 23. & lib. 5. ep. 12. & lib. 6. ep. 23. quoad Sardiniam, lib. 1. ep. 60. quoad Dalmatiam, lib. 2. ep. 41. 44. 61. quoad Galliam, lib. 5. ep. 5. 6. 10. 52. 55. & lib. 2. epist. 72. quæ omnia & singula à Divo Gregorio enumerata, an fuerint ex donatione & cessione Constantini M. an verò ex aliorum piorum concessione, non anxie requiro; cum nonnulla ex his potuerint alio quodam justo titulo Ecclesiæ Romanæ accedere, certatim contendentibus pijsissimis Principibus, Ecclesiam Romanam, juxta pollicitationem divinam, mammillâ suâ lactare, & in superbiam seculorum erigere. Constat igitur *interesse* Pontificum, seu prætensiones Ecclesiæ Romanæ in titulo non minùs justo, quàm vetusto fundatas esse.

Rex Hispaniæ præten dit jus in Regnum Lusitaniæ, in Catalauniam, in Comitatum Rossilionensem, in Ducatum Britanniæ & Ducatum Burgundiæ; quarum præten sionum deductionem legere licet apud Sprengerum supra citatum.

Rex Franciæ præten dit jus 1. in Regnum Navarra, hoc titulo, quòd Joannes Rex Navarra, Regno suo jussu Sixti IV. Pontificis Max. privatus, reliquerit Henricum Regem Navarra, cujus unica filia Joanna nupsit Antonio Bonbonensi Patri Henrici IV. Regis Franciæ. Ex adverso Rex Hispaniæ, etsi admittat propinquitatem succedendi in Henrico IV. asserit tamen, se legitimam occupandi regni causam accepisse à Pontifice, qui Joannem excommunicavit, propterea quòd pro Ludovico XII. Rege Galliæ contra ipsum Pontificem militasset.

Præten dit 2. Jus in Regnum Neapolitanum ex acquisitione bellicâ Ludovici XII. Regis Franciæ, qui Carolo Friderici II. Spurio expulso, Regnum Neapolit. occupavit. Sed Rex Hispanus Summi Pontificis tanquam Domini Regni Neapolitani judicium pro se allegat, quo pro Rege Neapolitano agnoscitur.

Præten dit 3. Jus in Regnum Castiliæ, hoc nexus fundamento, quòd Henrico Regi Castiliæ soror successerit, quæ filium Ludovicum Sanctum reliquit.

Præten dit 4. Jus in Regnum Portugalliæ; quam præten sionem Sprengerus ait esse longâ vetustate obsitam, & à longinquo petitam. Præ-

Prætendit 5. Jus in Regnum Arragoniæ. Nam Martinus IV. Papa (inquit Galli) Petrum Regem Arragoniæ, vesperarum Sicularum auctorem, eò quòd dominium Regni Neapolitani sibi arrogare voluerit, Regno Arragoniæ privavit, & de illo Carolum Comitem Valensem, vulgò de Valois, Philippi Regis Franciæ filium investivit.

Prætendit 6. jus in Ducatum Mediolanensem, eò quòd Galeatius III. reliquerit Joannem filium, qui improlis duas habuit sorores, Mariam & Valentinam: quarum altera, post mortem primogenitæ, ex provisione Patris, decernentis, ut deficiente stirpe masculinâ, feminina, juxta propinquitatem gradûs, succederet, ducatum sibi arrogavit, quem Ludovicus Dux Aurelianensis duxit. Sed obtenditur ab Hispano I. quòd dispositio paterna, feudum ex masculino femininum, citra Interessentium, & Imperatoris expressum consensum, facere non potuerit. 2. quòd Ducatus Mediolanensis ab Imperatore (qui illius legitimus Dominus est) investituram acceperit. Constat enim, quòd Carolus V. Imperator Philippum II. filium suum de eo investiverit.

Prætendit 7. in protectionem Genuæ, Carolo VI. Regi Franciæ delatam. Nam Regibus Franciæ jus quæsitum citra causam auferri nequit.

Prætendit 8. in superioritatem Flandriæ, Hannoniæ & Atrebatî; eò quòd hi status se semper Regis Galliæ Vasallos professi fuerint. Huic prætensionî opponunt, Hispani Francisci I. Regis Gal-

lia à Carolo v. in prælio prope Ticinum capti, & in carcere detenti, factam renuntiationem in dictarum Provinciarum superioritatem. Respondent Galli, eam renuntiationem esse factam citra consensum Parlamenti Parisiensis, cujus autoritas in alienationibus Regis interponi debet. *Hosti. in c. dilecti, de major. & obed.* Addunt, illam renuntiationem fuisse exortam per metum carceris, adeoque propter coactam voluntatem, *ex l. 1. ff. quod met. caus.* rescindi debere. Replicat Hispanus 1. quòd ignarus fuerit privilegij illius illius Parlamenti, adeoque talis ignorantia contractui nocere non debeat. 2. quòd privilegium allegatum concernat alienationes, sub quibus superioritatis remissio proprie non continetur. 3. quòd metus carceris non sit metus justus, adeoque contractus carcerati valeat. *Castr. in l. qui à latronibus Bar. in l. qui carcerem. Enig. cons. 177.*

Prætendit 9. in Nizam Comitatum Ducis Sabaudia, ex jure territorij Provincialis; Urbs enim Capitalis Niza in Provincia sita est. Sed Dux Sabaudia immemoriam possessionem, cujus titulum nemo allegare tenetur, pro se adducit.

Prætendebat 10. olim in Salutarum Ducatum, ut Italiae clavem, contra Ducem Sabaudia. Hinc gravissimum inter utramque partem exortum bellum, quo Henricus IV. Ducem Sabaudia toto penitus Ducatu exuit, eoque illum adegit, ut commutatione Bresciae Gallia Vicinae, pro Ducatu Salutarum, pacem à Gallo redimeret. *Thuan. lib. 125. Hist.* Ha-

Habent & suas prætensiones Reges Angliæ & primùm quidem in regnum Franciæ : unde etiam se Reges Franciæ nominant, ideo quòd Caroli VI. Regis Galliæ filia Eduardo Regi Anglorum nupserit ; cùmque in Carolo VIII. defecerint filij, qui in Corona Gallica succederent, arbitrantur eam Regibus Anglicanis tanquam proximis esse debitam. Quibus responsum est à Gallis, quòd vigore legis Salicæ, femininus sexus Regni Franciæ sit incapax. Sed non acquiescunt Angli, censentes jus in lege Gallicana fundatum esse irrationabile, quo feminae ab hæreditate paterna excluduntur, cùm æqualis natura æquales fratrum & sororum conditiones desideret, *l. pactum dotal. C. de collat. 2.* Quod verò attinet ad legem Salicam, aiunt Angli, se ut exteros eâ obligari non posse, cùm leges subditos tantùm obligent. Ad primam Anglorum replicam respondent Galli, allegatam legem *Pactum dotal.* habere duntaxat locum inter privatas personas, in illustribus autem fallere, quas æquitas naturalis ad conservationem familiarium obligat ; ideòque feminas ad regnum non admitti, ne hoc per ipsas ad manus externas devolvatur, in quorum manibus majorum prædia videre luctuosum est. Fatentur quidem statutis aliorum populorum posse Principatus in eorum cadere (cujusmodi est regnum Hispaniæ, Siciliae, Lusitaniæ, Sueciæ) sed ex aliarum Nationum consuetudinibus nullum Francis statutum obtrudi posse. Ad alteram Anglorum replicam respondent Galli, extraneos, quales Angli

sunt, legibus regni non esse obstrictos, nihilominus tamen quoad bona in territorio statuentium sita, illos obligari, ex communi sententia Doctorum; cum statuta, quæ non sunt personalia, sed realia (cujusmodi est statutum legis Salicæ) res ipsas jurisdictioni statuentium suppositas efficiant, à quocunque possideantur.

Habent insuper Angli tres prætensiones. Prima respicit immunitatem à Vectigalibus, Regi Daniæ pendendis in transitu angusti maris, vulgò *Der Sund*: quam immunitatem asserunt Angli à Rege Daniæ sibi concessam esse. Altera prætensio est in Islandiam & Schetlandiam, quæ non ita pridem innotuit, vocaturque à Theodoro Sprengero obscura, eò quòd historici tradant, prædictas duas Insulas semper sub jurisdictione Norwegorum fuisse: imò nulli eas accedere, aut piscationis, aut commerciorum gratiâ, nisi speciali impetratâ permissione Regis Norwegiæ, licitum fuisse, docet Isac. Pontan. *in hist. Dan.* Tertia prætensio concernit Hollandos, à quibus Angli propter piscationem halecum in Anglicano Oceano certum aliquod vectigal exigunt, tum quòd Rex Angliæ obtineat dominium maris Anglicani, quòdque exteri & peregrini Dominium istud demissione Velorum recognoscere soleant: tum quòd certum vectigal (*Danegeldum* vocant) Regibus Angliæ pro usu maris ab omni antiquitate pendì solitum fuerit. Sed respondent Hollandi, mare nullum dominium admittere, cum contra naturam sit, illud dominio subicere, quod

propter

propter continuum fluxum & refluxum nullos terminos possessionis admittit, quòdque natura ita laxum fecit, ut omnibus gentibus ad piscationem sufficere possit.

Rex Poloniæ contra Regem Sueciæ præten- dit jus in Livoniam, cujus clientelæ se illa quondam subjecit. Quam prætensionem elidere conantur Sueci, asserendo Livoniam, antequam in Polono- rum protectionem veniret, ab Imperatoribus Ca- rolo V. Ferdinando I. Maximiliano II. patrocinio Gustavi, Erici & Joannis Regum Sueciæ commen- datam fuisse. *Chytr. l. 28. Saxon.* Est autem juris, ut protectio semel accepta pro libitu excuti non possit. Protector enim jus quæsitum habet, quod sine consensu illius tolli nequit. *l. fin. ff. de pact.*

Rex Daniæ, tanquam Dux Holsatiæ, sibi vendi- cat prætensionem contra Civitatem Hambugen- sem) quæ se liberam civitatem imperialem esse as- severat) propterea quòd in Holsatico territorio si- ta sit, & quæcunque intra Principis territorij septa continentur, ea omnia ipsius jurisdictioni ordina- riæ subjecta esse censeantur, *c. omnes basilicæ 17. q. 1.*, nisi singulari beneficio privilegij, aut præscriptionis libera atque exempta esse doceantur, *c. dilectus de capell.* ita ut præsumptio pro Principe militans, onus probandi in exceptionem allegantem rejiciat. Ham- burgenses è contrario adducunt matriculam Imperij de Anno 1521. in qua Hamburgum inter Civi- tates Imperiales collocatur, cui insertus tam diu ha- betur pro statu Imperij, donec contrarium probe-

tur; illa enim quasi possessionem statûs probat, *Decian. resp. 66. n. 5. vol. 3. Cardinal. Thuse. concl. 674. n. 22.* Cranzius tamen ex Caroli IV. iudicio Civitatem Hambürgensem mixti statûs appellat.

Dux Lotharingæ prætendit jus in Comitatum Sarewerdanum, tanquam feudum masculinum Episcopatus Metensis, per mortem Joannis Jacobi Comitis Sarewerdani, ob defectum masculorum, ad se devolutum. Quòd verò feudum sit masculinum, in quo maximè cardo quæstionis vertitur, ex investitura Conradi Episcopi Metensis, Friderico Comiti de Mors facta, demonstrare nititur. Accedit, quòd in dubio feudum semper præsumatur esse masculinum, ob præstationem servitiorum, quæ de natura feudi esse censetur. Allegat quoque sententiam Cameræ factam Anno 1629. quâ sibi Comitatum Sarwerdanum totum adjudicari censet. At Comites Saræpontani, qui cum Duce Lotharingæ de Comitatu Sarewerdano decertant, negant eum esse feudum masculinum, & pariter negant esse feudum Episcopatus Metensis, sed ajunt esse liberum feudum Imperij, quale in publicata Imperiali sententia declaratur. Quod attinet ad sententiam Cameræ de Anno 1629. ajunt eam non de Comitatu Sarewerdano, sed tribus aliis feudis Episcopatus Metensis intelligendam esse.

Dux Sabaudia prætendebat olim in Genevam: cujus fundamenta, uti & copiosas exceptiones Genevensium, qui scire desiderat, legat Linnæum *lib. 5. c. 14.* Prætendit quoque in Ducatum Montis-

ferra-

ferratensem, contra Ducem Mantuæ, eò quòd Amédæus Dux Sabaudia, Ducem Montisferratensem ejectum, in Ducatum restituerit; hoc enim beneficio permoti Duces Montisferratenses, se Domui Sabaudia subjecerunt, & in signum subjectionis, nonnulla loca in territorio suo sita tradiderunt. E contrario Dux Mantuæ tuetur se sententiâ Caroli V. quâ ipsi Ducatus Montisferratis adjudicatus esse dicitur. Diu hæc inter Jurisconsultos ventilata fuit quæstio, super quâ nobile Antonij Fabri pro Duce Sabaudia prodiit scriptum, donec tandem instrumento pacis Gallico res componeretur, ita ut omnia loca, jura, & actiones Montisferrati cum omnibus pertinentiis Duci Sabaudia concederentur. Prætendit denique etiam Sabaudus jus in Cyprum, eò quòd Philippus Thomasi tertij Ducis Sabaudia filius, filiam Principis Achaia nomine Jambi duxerit, & occasione hujus Matrimonij cum Despota Græcia bellum duxerit, qui victus Ducem Sabaudia pro vero domino recognovit. Hinc in Sabaudia insignibus cernuntur hæc literæ, F.E.R.T. hoc est, *Fortitudo Ejus Rhodum Tenuit*. Et etiamnum Dux Sabaudia regens, titulo Regalis Celsitudinis (*son Altesse Royale*) condecoratur. Sed Galli tempore Henrici IV. prædictas literas ordine retrogrado sic exposuerunt: *Tout Retournera En France*; hoc est, *Totum Revertetur ad Franciam*; insinuan-tes, Regem Gallia omnes terras Sabaudicas in potestatem suam aliquando redacturum.

Inter Duces Brunswicenses & Civitatem Brunswicum antiqua est disceptatio, non solum gladio verum & pennâ diu ventilata: Ducibus sibi jus in civitatem arrogantibus, titulo homagij præstiti & appellationis devolutæ; Civitate verò pro libertate sua multa diplomata Imperatoria producente, quibus se Imperio immediatè contribuisset, fœdera liberè cum Principibus contraxisset, jus telonij habuisse ostendere nititur. Non diffitetur tamen, quod homagium Ducibus præstiterit, quodque appellationes à Civitate ad Duces devolutæ fuerint: sed asserit hæc Ducibus non vigore jurisdictionis, verum specialis virtute privilegij competere.

Superfunt prætensiones, concernentes *Interesse* honoris & præcedentiæ, quæ passim amplam altercandi materiam præbent. Ut pauca è multis commemorem, Hispanus cum Gallo, Anglus cum Hispano, Brunswicenses cum Brandeburgicis, Saxo cum Bavaro, Hassus cum Pomerano, Aquisgranum cum Colonia Agrippina, Messina in Sicilia cum Palermo, Equites Florentini cum Melitenibus, Nobiles immediati Franconiæ cum civitatibus Imperij liberis, Senenses cum Florentinis, Genuenses cum Senensibus, pro Jure sessionis speciosis admodum argumentis digladiantur, quæ vide apud Linnaum de Jure Publico, *tom. 2. lib. 4. cap. 9.* In Hispania Archiepiscopus Burgensis cum Toletano; in Gallia Turonensis cum Rhemenfi, Burdegalensi cum Bituricensi; In Italia Mediolanensis

lanensis cum Ravennate; In Polonia Episcopus Cracoviensis cum Archiepiscopo Gnesnensi; In Germania Herbipolensis cum Bambergensi de prerogativa disceptant. *Vide Sprengerum supra citatum.*



DISCURSUS

QUADRAGESIMUS QUARTUS,

EX

JURE PUBLICO.

De Circulis Imperij.

I.

PRimitus nonnisi sex circuli in Imperio Romano-Germanico fuere constituti Augustæ Anno 1500. postea facti sunt decem. Anno 1522. Norimbergæ, quod tamen alij Treveris factum asserunt Anno 1511. Porro per circulum Imperij seu Politicæ Germanicæ nihil aliud intelligitur, quàm magna aliqua regio diversarum vicinarum Provinciarum conjunctione constituta, plures sub se status & Ordines Imperij comprehensens. *Wehner pract. observ. lit. K. verb. Kraiß 2c. Besold. Thesaur. Pr. lit. K. num. 37. & 39.*

2. Primus Imperii Circulus est Austriacus, Secundus Burgundicus, Tertius Rhenanus, Quartus Franconicus, Quintus Suevicus, Sextus Bavaricus,

Septi-